

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. BERNARDO-NICOLAO BERTRAND, Doctore Medico, Præside.

An pro diversâ hepatis abscessuum indole, diversa curatio?

I.



ABSCESSUS, Græcis ἀπόστημα, ea est tumoris CONTRA-NATURAM species, quæ pure aut sanguine turget, & variis pro variâ humoris contenti naturâ nominibus insignitur; sic Atheromata, Meliceria, steatomata nuncupantur, prout pultis, mellis, aut sebi speciem præ se fert purulentiæ fomes. Hæc in propriis folliculis contenta ab aliis abscessibus carnium, viscerum-ve inquilinis, & vicinas partes undequaque rodentibus distinguuntur. Hujusmodi affectus etiam in jecore stabulantur, & nil mirum, si, teste Boerhaavio (a), *in ultimis hujus visceris arteriarum venarumque finibus locum habeat inflammatio*, undè suboriuntur puris congestiones, & vera in hoc viscere apostemata; & certè

(a) In Aphorism. n°. 915.

quod commonſtrat experientia, illud ratio renuere nequit; ſi verò ab hepatitide repetendi ſint ii abſceſſus, alii tamen abſque inflammatione præmiſsâ ſæpe generantur, &, velut pectoris vomicæ, ad tubercula ſtrumoſa referuntur (*b*). Eæ ſuppurationes frigidæ, quæ tùm à ſympathicâ, tùm ab idiopathicâ causâ, & ab humorum pravâ κρασει ſoboleſcere queunt, à calidis congeſtionibus differunt præſertim ratione ſymptomatum quæ prænunciant ſuppurationem brevì futuram.

(*b*) Aſtruc, maladies du B. V: Bartholin. obſervat. 73.

I I.

QUOTIES humanæ compagis aliqua pars inflammatione corripitur, toties rubore, tumore, calore, doloreque afficitur: hæc ſunt legitimi phlegmonis ſigna, quæ abſceſſum ſemper antecedunt. Si ex iis quædam deſint, vel ſint remiſſiora, in infarctum, vel ſi fas ità loqui, in ſpuriam phlogoſim deſinit inflammatio, quæ generatim duobus modis curari poteſt, nempè reſolutione, & ſuppuratione. In hepatis verò affectibus tùm ob peculiarem ejus ſtructuram, tùm ob humoris hùc affluentis indolem prior raró, ſæpiùs poſterior inſequitur. Hæc quidem præſagitur, cum ſeptem aut octo diebus vix elapſis hepatitidis ſigna, ſcilicet in jecoris regione dolor obſcurus, vellicationes, puncturæ leves, febricula, icterus quandoque, præierunt; ſtatim adaugetur hypocondrii dextri elevatio, dolor, tenſio, loci calor; præſertim verò, cum recrudeſcit ſymptomatica febris, ingruit virium proſtratio, de ſuppuratione certè pronuntiabis. Aſt ubi pus confectum, jam prædicta miteſcunt ſymptomata, minuitur dolor, tenſio; febriculâ hecticâ, ſiti ingente cruciatur æger; & digitus purulentam tumoris emolliti fluctuationem premens brevì perſentit. Cum autem, nullâ inflammatione prægreſsâ, doloſè hùc ſubrepſerit tabificus latex, hunc in hepate deliteſcere non immeritò ſuſpicaberis; ſi, jam à longo tempore lentâ & intermittente febre laboret æger, vagis horroribus frigidoque premætur ſudore, & totum illius corpus deturpet livida macies: ſi acerbâ ventriculi reſolutione torqueatur, ædematoſo gravetur pedum tumore, & turbidas ac lateritias excernat urinas; tunc hæc eſſe frigidæ ſuppurationis prænuntia ſymptomata aſſerere ne dubites.

I I I.

QUAM gravia ſint hepatis apoſtemata, quàm incertus eorum eventus, & ardua curandi methodus, quotidiana ſatis comprobat experientia. Secernendæ bilis ſufflaminatio, chyli depravatio, impedita nutritio, naturalium functionum ataxia, totidem ſunt ſigna quæ miſeri decumbentis perniciem minitantur. Et verò, ſi ſit Hippocrati fides (*a*), *Qui ſuppurato hepate uruntur aut ſecantur, ſi purum pus aut album fluat, ſuperſtites evadunt; ipſis enim pus eſt in tunicâ: ſi verò qualis amurca fluat, pereunt.* Attamen abſceſſus in ipſo jecoris *parenchymate* nidulantes feliciter ſe ſanaſſe refert Joann. Scultet (*b*). Hepatis apoſtemata, quæ intùs vel extùs aperiuntur, ab *Hippocrate* (*c*) periculoſa habentur. Reverâ ſi pus reſorbeatur hepaticis venis, deteriora vaticinamur: ſi verò ad duodenum virus illud devehant bilis emiſſarii, ſtatim per totum corpus graves concitantur tragædiæ, velut tormina, colici dolores, tùm griſeæ, tùm albidæ, tùm etiam fætidiſſimæ dejectiones; ſtatim diris anxietatibus circà præcordia angitur æger inextinguibili ſiti exſiccatus, dùm per languidos artus ſerpit febrilis æſtus. Sufflaminatis tunc febre & ictero, fauſtum nunciatur omen. Sin minùs, ſuppuratio certa, anceps curatio: verùm deſperata ſalus, ſi ruptis compepibus in abdomen evomatur, vel in pectoris cavum refluat materies fætidiſſima.

(*a*) Aphor. 45 ſect. 7.

(*b*) Medico-Chirurg. obſerv. tom. 2.

(*c*) Lib. de prognoſt.

Per vomitum, urinas, alvi fluxum, aliaque corporis exernicula, tabi foràs amandati nec rara proftant exempla (*d*), fed in his cafibus fola fibi parat natura triumphum. Huic providæ matri committenda eft fanationis cura, fi nihil ad ægri falutem ars moliri queat, & in parte jecoris concavâ fupernâ, vel diaphragmaticâ hæreat collectio puris. Verùm fi fub duarum poftremarum & fpuriarum coftarum limbo in folliculo tegumentis exterioribus coalito congeratur fanies [quæ cohærentia fatis dignofcitur, dùm manu partes externas verfus interiora repellente non recedit hepar], tunc advocandum erit citum & tutiffimum Chirurgiæ auxilium.

(*d*) Bianch. Hift. hep.

I V.

HIS igitur probè cognitis, fi non obftent ægri collapfæ vires, & urgeat periculi præfentia, pus fine morâ deprome. Etfi fola per fe fuppurationem ut plurimùm maturet natura, fæpiffime etiam hæc artis opem advocet. Nec affici, nec putrefieri queunt tegmenta, quandò puris altius reconditi manet fomes teterrimus. Itaque, fi cum exterioribus involucris coalefcat hepatis apoftema, nec remediis emollientibus topicis & maturantibus ufurpatis fatis relaxetur corii textus ut fponte fuâ difrumpatur, hunc prærumpere non cunctaberis, ne crudeliores turbas intùs fufcitet fubfufcum tabum acefcens. Enim verò, *Quæ medicamenta non fanant, ea ferrum fanat. Quæ ferrum non fanat, ea ignis fanat....* ait Hippocrates (*a*). Hanc ad operationem exequendam ferrum candens admovebat medicinæ princeps, ut fecuturam tutiùs fifteret hemorrhagiam, fed ex quo non reformidatur, apud recentiores fere omninò actualis cauterii obfolevit ufus; & infuper, fi qua foret, vaforum ligatura, ftyptici pulveres, & aftringentes aquæ benigniori modo medici fcopum attingerent. Quos autem perterret ferrum, in omnibus cafibus ei lapidem cauflicum anteponunt: fed quis, artes noftræ limina falutans, hunc in frigidis, illud in calidis fuppurationibus anteponendum effe non noverit? Hæ citò ferrum expoftulant, ne diutiùs retenta colluvies, & acrior evafura in *gangrænam*, aut *fcirrhum* tranfmutetur: frigidæ verò indigent caufticis, quæ calorem & phlogofim accerfant, & materiam abfcefsûs degenerem in pus oleofum & laudabile convertant. Hùc igitur re adductâ, Lanceolâ vel fcalpello, non vernaculo triangulari nifi (*b*) dubio hepatis in abfceffu, aperiatur illud apoftema, cavendo præfertim nè cultello deorsùm nimis impulfo, & amicis adhæfionibus folutis pus abdominis vifcera deturpet. Liberior ut fit humoris ftagnantis effufio, & patentior exitus, decuffatim fiat tegumentorum incifio, quæ, fi corporis longitudini parallela foret, nativâ fibrarum elafticitate, nec mundato ulcere, brevì coalefceret.

(*a*) Aphor. 6. fect. 8.

(*b*) Vide Thefim M. le Thieullier, anno 1735.

V.

EX dictis patet quæ fit abfceffuum hepatis indoles, & quænam, ratione purulenti laticis, inftituenda curatio. Hujus fanè omnem paginam non implevit, qui, ferro vel caufticis præruptâ cute, fuppuratam *inftar loturæ carnis* materiem è folliculo abftulit, cum ex fequentibus pendeat perfecta fanatio. Diductis igitur inflicti vulneris decuffati marginibus, & evacuato pure, linamentum tenue, & multoties carptum, digeftivo fimplici cùm therebentinâ & ovi vitello illitum leniter immittatur in facculum, ut ab illius fundo imminens arceatur putredo, ex parietibus undique depluens abforbeatur corrofiva fanies, ut nova membranarum & carnium fobolefcat regeneratio, & ab immediato aëris contactu fervetur. Prætermittantur

detergentes nimium & plus justò decantatæ injectiones, quæ horripilationem, motumque febrilem procreare valent. Idcircò potiori jure resinosa, spirituosa, balsamica uno verbo anti-septica remedia extùs exhibita, intùs amara, v. g. kinakina jubemus. Quid plura? incassùm nobis aliquid objicerent adversarii, cum & observationibus & ratiocinio & experientiâ innitatur nostra conclusio:

Ergò pro diversâ hepatis abscessuum indole, diversa curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes - Nicolaus MILLIN DE LA COURVEAULT, Anatomes & artis obstetriciæ in gratiam Matronarum Professor.

M. Claudius-Thomas Guillelmus GUILBERT DE PRÉVAL, Rei Herbariæ Professor, Christiani VII. Daniæ & Norvegiæ Regis Consiliarius Medicus, à Medicis Consiliis necnon Rerum Medicarum à Relatione.

M. Julianus BUSSON, Nosocomiorum Regiorum in Britanniâ Inspector.

M. Theophilus DE BORDEU, Eques, Nosocomii Regii & militaris Baregiensis Medicus designatus.

M. Jacobus GOURLEZ DE LA MOTTE.

M. Petrus BERCHER, Facultatis ex - Decanus & Academiæ Censor, utriusque Pharmaciæ Professor, Regiæ Hispaniarum Infantis, dum viveret, necnon Regii exercitûs ad Infimum Rhenum in ultimo bello Medicus primarius.

M. Petrus-Abrahamus PAJON DE MONCETS, Eques, Societatis Litterariæ Catalaunensis Socius.

M. Simon-Antonius BRINGAUD.

M. Benjamin - Ludovicus LUCAS DE LAUREMBERT.

Proponebat Parisiis HENRICUS-JOANNES BAGET, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1772.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1772.